

1510 adhibitus , & stipe ad panem remigum donatus auri libris duabus , jussus est classem , & militum manum longe numerosiorem ad rem iterum tentandam propediem conficere : suaque illi Julius consilia patefecit . atque ad naves longas majores reipublicæ de quibus supra dictum est , celeriter accersendas tabellarium cum literis Corcyram misit . Eo fere tempore Uladislaus Pannoniæ rex Ludovici Gallorum regis & Maximiliani assiduis hortationibus petitionibusque permotus , in suorum principum concilium Petro Paſcalico legato reipublicæ adhibito proposuit , statuisse se bellum reipublicæ inferre , nisi Dalmatas suos quondam populos sibi restituat : nolle se ulterius ea ditione , quæ majorum suorum fuerit , carere : si respublica sua voluntate eam tradat , se illi amicum futurum : si bellum malit , cito eam cognitaram , quam præstet pacate restituere , quod retineri bello non possit . Legatus , cum vellet pro Senatu verba facere , reique publicæ causam tueri , ab illis est prohibitus . itaque , quod unum in sua esset potestate , se de eo Patres certiores facturum dixit : tempus petere , ut quid ad ea respondeant , sciri possit . Eo concilio dimisso , fuere nonnulli ex iis ipsis qui in concilio fuerant , qui secreto ad legatum detulerunt ; bono animo esset ; bellum regem facere non posse , quod numi non suppeterent : satisfactum ea denunciatione cum regibus potentibus , tum principibus aliquot Pannonicis , quos suæ ipsorum cupiditates impellebant , ut bellum suaderent : sed re nullum fore bellum . quod ita esse postea eventu ipso patuit .

Hostium autem , qui Monsilice abierant , pars Vicetiam profecti , tormenta , quæ priore adventu in oppidum intulerant , ibique reliquerant , abstulerunt . Germani Vasconesque , quos adibant pagos villasque , incendiorum vastitate plerunque fœdatas relinquebant . Galli cum vellent a reliquo exercitu recedere Mediolanum versus , ab rege literas acceperunt , quibus in literis jubebantur , duos etiam menses cum Germanis belli fortunam experiri . Cives Veneti , qui missu Patrum Pa-

*Pannoniæ  
venetis bellum  
minatur , ni-  
f Delmatia  
oppida resti-  
tuant.*